

26

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
CURATIONIBUS
SYMPATHETICIS,

QUAM AUSPICE DEO PROPITIO

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicae,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

ANNO MDCCXXX. D. OCTOBR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

AUCTOR RESPONDENS

CHRISTOPHORUS EUGENIUS HOYER,

MULHUSANO-THURING.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

PERILLUSTRIS LIBERÆ AC IMPERIALIS REIPUBLICÆ

MOLHUSINÆ

MODERATORIBUS

VIRIS

MAGNIFICIS, PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS

DOMINIS

CONSULIBUS

SYNDICO

SENIORIBUS

CENSORIBUS

PRÆTORIBUS

ET

SENATORIBUS

RELIQUIS

DOMINIS PATRONIS AC FAU-

TORIBUS SUIS MAXIMIS,

PLURIMUM COLENDIS

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM

ea, qua par est, observantia
dicat, consecrat

Author

CHRISTOPH. EUGENIUS HOYER.



PRODROMUS.

I quicquam est, quod Medicorum ac Philosophorum eruditissimorum ingenia maxime turbavit, fatigavit & ad abstrusiores rerum eventus explicandos, perscrutandosque excitavit, id sane intricatam Sympathiæ & Antipathiæ doctrinam esse, nemo, qui vel fugitivo oculo historiæ philosophicæ amœnitates perlustravit, ibit inficias. Ipsa Peripateticorum Schola, quæ nihil ignotum sibi quondam putabat, quoties de Sympathiis quæstiones ventilabantur, toties ad asylum ignorantiae refugium sumebat, dum easdem per occultas qualitates explicare satagebat. Huic ferme consentiebat Julius Cæsar Scaliger de subtilitate ad Cardanum.

A 2

Exer-

Exercitat. CCCXLIV. de Sympathia judicantis & præceptoris sui Cælii Rhodigini vestigiis insistens, suberit, inquit, occulta natura, quæ homini ignota, sapienti haud quaquam investiganda. Neque Fernelius dissentire videtur, quando lib. II. de abditis rerum causis p. m. 254. scribit: Sympathiæ & Antipathiæ omnibus rebus insertæ arcanæ quidem & abditæ, quas natura nos mirari potius, quam scire voluit. Pari pene modo Levinus Lemnius in occultas essentias abditasque rerum proprietates ea rejicit, quæ ab aliis de Sympathiis & Antipathiis traduntur, dum in præfat. lib. de occultis Naturæ miraculis in sequentia erumpit. Non diffiteri possum aut tergiversari, quin multa sunt in rerum natura abdita & abstrusa, effectuque tam latenti & cœco, ut temerarium sit, talium rationem inire, aut facti causam explicare. Heinricus Cornelius Agrippa acuti ingenii Polyhistor (quem multi Theologorum Magiæ diabolicæ arguendo traducere solent) in libris de occulta Philosophia sympatheticas & antipatheticas rerum causas veluti magicas admiratur

tur & ab elementis, a syderibus, a dæmoniis, ab angelis & aliis nescio quibus derive-re sustinet. Cui Theophrastus Paracelsus etiam adstipulatur. Helmontius, Groen-landus & horum asseclæ rerum Archeo e-jusmodi effectus imputare solent. Sed cum Judice D.D. Præside hoc monstrum in the-
oria physico medica admodum confusum
& occultum sit: Itaque reliqua deductio
modi fiendi satis sterilis existit. Rectius au-
tem Vir laudatissimus principalem efficaci-
am & operationem animæ humanæ adscri-
bendam esse statuit: de quo pluribus videri
meretur Ejusd. Therapia Medica p. 220. Ve-
rum enim vero quod salva celeberrimorum
virorum autoritate dixerim) propi⁹ ad rem
videtur accedere Würdigius, qui in Medici-
na spirituum curiosa per consensum Spiritu-
um Sympatheismum & Antipatheismum di-
lucide satis explicare, & in apricum quasi si-
stere videtur: Sub spiritibus autem effluvia,
atomos, imo subtilia corpora & corpuscula
in particulas innumeratas invisibles, incom-
prehensibiles, divisibil'ia subintelligens. Id
quod celeberrimus Dygbæus plurimis ob-

servationibus, experimentis, rationibus fovi-
vit, defendit, corroboravit & confirmavit.
Cui etiam hypothesi, tanquam aliquo
fundamento hodie a plurimis recepto hanc
meam de curationibus sympatheticis di-
putationem censeo superstruendam.

SECTIONIS PRIMÆ

CAP. I.

EXISTENTIA CURATIONUM SYMPATHETICARUM.

Quandoquidem non solum Veteres & inter
hos Erastus, sed etiam recentiores, præ-
primis ex scholis Scepticorum provenien-
tes non pauci in hunc usque diem curatio-
nes morborum sympatheticas perneggant,
de existentia earum pauca prius prælibare, quam ea-
rum rationem formalem pervestigare, easque gra-
phice delineare, operæ pretium puto. Cum ve-
ro universa Medicina Præctica duobus fulcris innixa
& superstructa, Experienciam scilicet & rationi, his-
dem fulcimentis confirmatae Curationes sympathetici-
æ facile probari possunt. Sic inter plurimos cele-
berrimos Medicinæ Præticos, qui pro curationibus
sympatheticis militant, laudari meretur præ cæteris
Dygbæus eques anglicus in Tractatu peculiari de
pulv.

pulv. Sympathet. Petrus Servius de unguento armario. Helmontius, Greenlandus in philosophia veteri restituta. Thomas Bartholinus in epist. ad Gru-
bium de transplantatione morborum. Borrichius in Hermetis *Ægyptiorum & Chymicorum Sapientia.* Rettray in Theatro sympathetico. Maxuellus de Me-
dicina magnetica. Tenzelius in Medicina diastatica. Saint Romain in scientia naturali. Würdigius libro citato &c. &c. Et quot quæso observationes & ex-
perimenta in Ephemeridibus Germanorum Nat. Cu-
rios. videre licet Dec. III. An. VII. & VIII. obs. CXCV.
Cent. III. & IV. obs. V. &c. ut raseam plurima alia ex-
perimenta ab experientissimis consignata adeo ma-
nifesta, ut neino qui recentiorum scripta perlustra-
vit, nisi fungum pro cerebro habeat, talismodi cura-
tiones in dubium vocare queat.

Nec empirice saltim de curationibus hisce scri-
perunt Celeberrimi Viri, sed rationibus etiam con-
firmarunt, dum a Spiritibus, ab atomis, a rerum ef-
fluviis, ab atmosphærulis & particularum sororian-
tium affinitate, consensu, contrarietate curationum
causas derivare pulchrum ac probabile satis puta-
runt & extra dubitationis ansam locarunt. Non ne-
scius quidem sum, celeberrimos nonnullos medicos
dubias reddere, causam interferentes, robore natu-
ræ forsitan conyalescere ægrotos, non curatione ma-
gnetica: Id quod si valeret, nonne idem subsumi pos-
set de curationibus chirurgicis? quid, quod si vel
maxime concedam, naturam per effluviorum, par-
icularum balsamicarum & spirituum similitudinem
&

& *αραθυπίασιν* roboratam causis morbificis sensim exterminalis, morbos curare & agrotos convalescere. Neque me latet alios magni nominis viros, easdem curationes suspectas, veluti magicas, superstitiosas, diabolicas traducere velle, præsertim si verbis vel ceremoniis simul fiant. Id quod etiam ipse Primerous innuere videtur de erroribus vulgi lib. IV. cap. 48. p. m. 222. lin. 15. seqq. his verbis: Quod autem magicam curationem quidam vocant, non est improbabile, quandoquidem ejusmodi virtus sanandi, quæ v.g. in unguento esse dicitur, spiritu mundi, id est dæmone, qui princeps mundi dicitur, vectore indigeret: Risum teneatis amici! Enim vero huic & asseclis cum Thoma Bartholino ex epist. Med. Cent. I. ep. X. p. m. 33. respondeo: Ego parum tribuo Magis, & credo sæpe diabolo injuriam fieri, cui ea tribuitur curationis, quæ naturalis est, quanquam ad fallendum homines credulos nonnunquam certæ ceremoniæ affingantur.

CAP. II.

DE

DEFINITIONE NOMINALI ET ESSENTIALI CURATIONUM SYMPATHETICARUM.

Cum itaque ex dictis manifestum & indubitatum sit, dari & fieri curationes per Sympathiam, porro juxta communem methodum in scholis medicis & Philosophicis receptam de etymologia & synonymia non nihil proferendum. Dicuntur autem Sym-

Sympatheticæ curationes german. Sympathetische Curen, a græca voce *συμπάθεια*, i.e. compassio, consensus vel ut Ciceroni placet contagio. Ab aliis Archeales appellantur, ab iis scilicet, qui sic dicto Archeo imputant. Vulgo magneticæ vocantur, germ. Magnetische Curen, & quidem analogice. Quemadmodum enim magnes versus polos se flectit, & ferrum attrahit absque sensibili quodam impulsu vel contactu, ita curationes ejusmodi fiunt, nemine sentiente, quomodo frant. Nonnulli denique magicorum curationum nomine indigitare malunt. Cum vero Magia duplex sit, altera probata & naturalis, altera improbata & infamis germanis *Zauberer*, *schwarze Kunst*, hæc denominatio, si taniori sensu accipiatur, itidem toleranda. Magus enim a græco *μάγος*, juxta Vossium meditabundos, ac in rerum cognitione occupatos significat, i.e. Philosophos, Sapientes, Prophetas, weise und gelehrte Natur-Kunst-Diger, quales maxime esse decet, qui sympatheticas curationes suscipere volunt, prout infra plenius demonstrabitur. Quodsi vero quispiam perverso sensu pro curationibus illicitis & fascinationibus, zauberische Curen interpretari, nostrisque curationibus labem affricare velit, is sane non audiendus, sed partim ex dictis, partim ex dicendis facilis negotio refutandus. Id quod etiam ex sequenti definitione pluribus eluiscetur, dum formalis earundem ratio ita declaratur: Curatio Sympathetica est curatio nonnullorum morborum tam internorum, quam externorum, quæ sit absque chirurgica manu, nec assumptis

remediis pharmaceuticis, sola spirituali operatione remotis ac diffitis etiam ægrotis.

Sic generis loco ponitur curatio scilicet medica rationalis, naturalis & licita, perinde, ut chirurgica & pharmaceutica; morborum tam internorum v. gr. febrium &c. quam externorum præsertim vulnerum & ulcerum. Loco differentiæ specificæ dicitur, absque chirurgicis & pharmaceuticis remediis. Hinc apprime locum habent, chirurgicis & pharmaceuticis non juvantibus & absque successu adhibitis, vel quando ægroti absterni ob Idiosyncrasiam amedicamentis internis prorsus abhorrent, vel in iis præsertim, quibus res angusta domi Medicis & Chirurgis & pharmacopœis debita sostra persolvere nequeunt. Notabiliter etiam dicitur absque chirurgicis remediis, i. e. absque emplastris, unguentis, linimentis, qualia ne pori obstruantur, & influxus, sic dictus, spiritualis impediatur, potius vitanda. Additur denique remotis ac diffitis ægrotis; quemadmodum enim contagium morbosum, ita etiam curationes in distans fieri possunt.

CAP. III. DE

DIFFERENTIA CURATIONUM SYMPATHETICARUM.

Curationes Sympatheticas ad lydium rectæ rationis Lapidem examinanti triplicis generis occurrere in Ephemerid. Nat. Cur. Cent. III. & IV. Obs. V. p. 10. D. H. pluribus animadvertisit. Scilicet

(II)

cet esse tales, (1) pure naturales seu rationales, (2) superstitiones, quando verba vel preces simul proferruntur, vel ceremoniae certae simul exercentur, quanquam ad fallendum credulos quandoque quicquam fieri probabile (3) Magicas animo nocendi, seu proximo damnum inferendi, vel alios illusionem circumveniendi, institutas.

Nos missis superstitionis & Magicis pure naturales seu rationales hic & nunc in scenam producimus. Et haec quidem variis modis fieri possunt. Usitatisimae sunt 1) quae per inescationem fiunt, quando scilicet mumia ita dicenda aut effluvia, aut certi humores &c. vel excrementum ægroti animali bruto vel cani vel pisci &c. devorandum objicitur, aut alio quovis modo infertur & communicatur, atque hac ratione miasma morbi seu fermentum morbificum transfertur in brutum, ægrotus autem ab eodem liberatur. Secundo laudari merentur curationes Sympatheticæ, quæ per applicationem fiunt, quando brutum affectæ parti accumbit, vel applicatur & admoveatur, eoque modo effluvia morbosa ex ægroto corpore vel parte emanantia animali bruto sano communicantur, homo ægrotus autem ab iisdem liberatur. Quo fine podagrii nonnulli catellos pedibus accumbentes in lectis fovere, alii limaces pedibus, Iterici tinea abdomini applicare solent &c. bono cum successu. Tertio saepius etiam sympathetice curantur morbi per transplantationem, quando arboris vegetæ & sanæ cortici vel radici fissæ mumia, ægroti membra illinitur vel quasi inseritur, sic hernio-

vis

B 2

fos

fos quosdam feliciter fuisse curatos testatur observ. V.
 Cent. III. & IV. ephem. germ. Vel quando vegeta
 herba seu planta una cum radice membro a morbo
 affecto applicata, in terram ad progerminationem i-
 doneam plantatur & mumiāli liquore vel excremen-
 to ægroti sæpiusculē irroratur, quo factō ægrotus
 ab affectu sensim liberari solet. Laudatis hisce a
 nonnullis 4) alijs curationis sympatheticæ modus
 additur per inseminationem, quæ fit, si succus qui-
 dam vitalis vel excrementitius ægrotantis cum terra
 bonæ notæ miscetur & semen morbo appropriatum
 cephalicum, pectorale, cordiale, stomachicum, he-
 paticum, spleneticum &c. dicto succo vitali five mu-
 mina pariter imprægnatum inferitur, & aqua qua pars
 affecta sæpius abluta subinde rigatur, usque dum se-
 men progerminat & floribus & fructibus prolatis pe-
 rit. Tandem adhuc alijs curationis modus restat
 qui fit 5) per putrefactionem, dum pars vel manu
 defuncti hominis, vel carne bovina vel suilla recente-
 ter mactata fricatur, & caro humidæ telluri ad putre-
 factionem mandatur, ut facta putrefactione morbus
 curetur. Sic fricationem manu hectica defuncti fa-
 etam pluribus profuisse notatum. Eodem fine non-
 nulli herbis morbo appropriatis recentibus membra
 affecta fricare & ad putrefactionem abjecere solent.
 Quæ quidem singula inferius plures confirmabunt
 observationes.

Per mumiām vero, cuius frequenter mentio fa-
 ta, intelligitur sanguis, Lac, Saliva, Sputum, Loru-
 ra sordium, sudor, capilli, crines, excrementa, urina
 alvi

alvi feces, unguium segmenta, aqua balnei, qua membrum affectum ablutum &c. Paucis : omne vehiculum spiritibus ita dictis imprægnatum.

C A P. IV.

DE

CAUSIS CURATIONUM SYMPATHETICARUM.

Non solum vulgus, sed illi quoque, qui inter eruditos nomen profitentur suum, toto quod dicitur ccelo errare videntur, quando nihil, nisi quod in sensus externos incurrit, naturale esse, persuasum sibi habent. Cætera, quæ omnem vim sensuum fugiunt, prorsus negant, vel inter magica diabolica recenserent. Ex hac itaque præconcepta opinione dum curationes sympatheticas vel negare, vel tanquam magicas diabolicas suspectas reddere non verentur, operæ pretium ac plane necessum puto, causas harum curationum dilucidius paulo in scenam sistere.

Archeales qui curationes ejusmodi nuncupant, ab archeo causam illarum derivant. Nonnulli recentiorum hodie ab anima deducere malunt. Plerique vero qui cultores & Autores earum sunt, doctrinam effluviorum, atomorum, subtilissimarum particularum & corpusculorum tanquam fundamentum supponunt. Qualia Würdigius sub spirituum nomine complectitur, atomos, effluvia, ætherem, &

subtilissima quævis corpuscula in particulas innumeratas divisibilia subintelligens. Rüdigerus in physica divina per atmosphærulas corporum dilucidius explicari posse censem. Qualis atmosphærula ex particulis salinis, sulphureis pluribus bullulis constantibus, per mercurium (qui corpus fluidissimum & invisibile est) junctis composita, & quasi in infinitum multiplicata & extensa. In eo itaque plerique unanimiter consentiunt, per mutuum & communem consensum & communicationem spirituum effluviorum, bullularum & per *atra&vul&orū* morbos tam internos, quam exterios machinæ humanæ sympathetice curari. Ita ut effluvia seu spiritus ex ægrotante corpore per poros effluant, & in aliud, sive fit elementare sive animale sive vegetable sive minerale, cui ægroti mumia vel excrementum communicatum fuit, migrant & se illi asscent. Hæc effluvia vero seu hi spiritus transportati ex ægrotato corpore alios morbosos spiritus attrahere, reliquos autem in corpore residuos vividiores reddere, particulis balamicis simul secum vectis, tractis, attractis & communicatis, id quod per usum & operationem pulveris sympathetici & unguenti armarii comprimis manifestum fieri judicant.

Maximam quidem plurimorum animos in admirationem rapit, quomodo in distans fieri possint ejusmodi curationes? Enim vero quisquis plurimas alias sympatheticas operationes & virtutes serio secum perpendit, is facilem fidem curationibus hisce in distans etiam dabit, si scilicet consideraverit, Magne-

gnetem non solum distans ferrum attrahere, verum etiam alteram illius partem ad polum borealem se convertere, alteram ipsi oppositam australem respicere; vinum effervescente in germania, dum uvæ florēt in Gallia, & quod magis admirabile, matrem ad distantiam aliquot milliarium filii, filium matris mortem percipere. Nonnullos felis in hypocausto vel camera præsentiam, quamvis ita absconditam, ut nullo externo sensu eam percipiat, perferre non posse, sed ob antipathiam adeo persentiscere & abhorre, ut in Lipothymiam incident, vix nisi remota ex camera fele curandam. Qualia phænomena omnia singula a subtilissimorum corpusculorum vel athmosphærularum bullularum vel spirituum continuo effluxu in apricum fisti posse ex iis, quæ laudatus Rüdigerus & Wirdigius l.c. habent, sole meridiano clarus ferme elucescit. Indefinita quippe activitatis sphæra in spiritibus deprehenditur, ab Creatore ipsis ceu corporibus subtilissimis, elemento astrorum analogis ut putatur concessa.

SECTIONIS SECUNDÆ

CAP. I.

DE

CURATIONIBUS SYMPATHETICIS MORBORUM INTERNORUM.

Nimis prolixa foret hæc Disputatio, si quorumvis morborum internorum curationes sympatheticas, quæ nobis haec tenus innotuerunt, delinea-

neare velimus. Quapropter nonnullas saltim a celeberrimis & experientissimis Medicis haetenus observatas hic & nunc in medium proferemus. A febris itaque, tanquam a morbo universali, universum corpus & omnia membra perambulante exordium facimus. Sic pestem ipsam tanquam febrium apicem & cum primis anthraces pestilentiales sympathetice curare per affictum Saphiri Helmontius voluit, id quod pluribus etiam confirmat Kronlandus in Phil. veteri restituta. Ut raceamus bufonis de collo suspensionem, pestis praeservativum decantatissimum remedium. Febre acuta quoque graviter decubentem venerabilem virum, cui panem tritum cum sale pedum plantis applicari jussit, per inescationem se feliciter curasse scribit Würdigius. Iste enim panis sudore plantarum largiter madefactus gallo Africano projectus, qui quamprimum massam devoraverat, mox quasi apoplecticus in terram mortuus concidit, æger autem cum Deo convaluit. Haud dissimilem febrem malignam & acutam desperatam cum delirio phrenitico per transplantationem feliciter a se curatam Beatus Lic. Scharffius Serenissimi Principis Schvartzburgici quondam Archiater in Traet. Germanico von Magnetischen Euren pluribus memorat p. 68. 69. Tertianam continuam periculosam in sexagenario senective Molhusino per inescationem curatam in Ephemer. Nat. Cur. Cent. I. & II. Obs. CXVIII. testatur D. H. dum carnis bubulae libra una semis in urina, in paroxysmo & statim post paroxysmum emissâ, in olla fictili, super imposito operculo

culo bene tecta, cocta, cani devoranda objecta. Quo
 facto famelicus canis, postquam carnem dentibus a-
 vidissimis arripuerat, ac devoraverat, altero die &
 pluribus subsequentibus eodem pene modo febrici-
 tare noratus, quo citatus sexagenarius, hic autem a
 periculoso affectu feliciter liberatus. Et nos haud i-
 ta pridem, cum anno 1729. febris quartana contuma-
 cissima epidemicā tempore autumnali in suburbio D.
 Petri grassaretur, vidi mis nonnullos, quibus res an-
 guesta domi, à febre quartana fuisse liberatos, qui of-
 fas cum urina sua mixtas canib[us] devorandas objec-
 rant, de qualiter remedio videri poseretur Franc. Joehin
 Oper. Med. Tom. V. Sect. II. p. m. 32. In Variolis in-
 cipientibus partes illas, à quibus eruptionem prohi-
 bere volumus, saphiro gemma confricamus, teste
 Grönlande Ite. ~~aut huius op[us] olorumque superauxilia~~
~~modi.~~ Quislibet etiam febres facilius curari posse, quan-
 do ovum cum prima febricitantis coctioni in fornici-
 earum acervum reconditur, in Tract. germ. der
 harmherzige Samariter traditur. Febricitantes in-
 fantes convalescere, non nulli dicunt, si cucumeres
 dormientibus applicentur; norante inter alios Wür-
 digo bo. Ut non memorēm a ratis viridii applica-
 ta, vel aranea majori putamini hucus inclusa & collo
 appensa, febres fuisse fugatas. non enī ~~enī~~ ~~enī~~
 ibis Non minor virtus sympatheticorum remediorum
 in affectionibus céphalicis periculosisstis esse fer-
 tur. In ipsa apoplexia tam præservandij, quam cu-
 randi fine Radix Verbasci mense Julio ante solis or-
 tum instrumento aureo effossa & in syndone rubra
 attuta, ut in mensuram uniuersitatis per quatuor libras
 colligatur, ~~enī~~ ~~enī~~ ~~enī~~

collo appensa, a Nobiliissima familia inter arcana as-
 servatur. Horum quippe licet extremo Senio con-
 fectorum neminem unquam apoplexia correptum
 vel defunctum, a fide dignissimo percepimus. Co-
 mitialerni morbum infantibus fatalem, nec non mo-
 tis convulsivos Radicem paeoniæ masculæ collo sub-
 nexam sanare, comperit Fernelius de abditis rerum
 lib. II. p. 155. id quod hodie a vulgo etiam probatum.
 Adeundem effectum lapillus chelidonius etiam præ-
 sentanea vi pollere traditur, ut & carbones sub Ar-
 temisia reperti e collo suspensi. Melancholicos re-
 creant annulit aurei pretiosis gemmis apprime dia-
 mantibus, saphiris, Rubinis, ornatis, non solum gra-
 to adspicu, sed etiam vim salubrem in machinam hu-
 manam ut creditur, exferendo, emanante virtute
 effluxuque spirituoso, quo spiritus animales & vi-
 tales ut quidam volunt, afficit. Visus debilitatem
 Smaragdi viriditas insatiabilis, & quo oculi saturari
 nequeunt, mirum in modum acuit. Sicut etiam
 Topasius, jaspis, Cyaneus Turcosa &c. quibus al-
 ligantur non evanescunt spiritus visorii, atque acu-
 men oculorum exacuant. Levin. Lemn. de occult.
 Nat. mirac. lib. IV. cap. VI. p. m. 517. Ut eodem si-
 ne lætæ segetis, viridium sylvarum & hortorum ite-
 ratos adspactus non laudem. Ad oculos humentes
 nonnulli Saphiro utuntur, & intra paucos dies aridi-
 tatem inde sentiunt, prout Krönlandus L. c. scribit.
 In defluxionibus & rheumatismis succinum collo ap-
 pensum efficacissimum; id quod etiam in ophthal-
 mia profuisse notavimus. Scorburus in ore se exse-
 rens curari potest per sputi immissionem in os truttæ
 vel

vel lucii, pisces. Odontalgia auffertur, si salici per corticem vulneratae assula, sanguine ex loco dolente intincta inseratur, super inducto iterum cortice. Fœtor oris curatur, quando jejunus homo in cloacam halitum immittit, idque aliquandiu reiterando continuat. Maxima quippe graveolentia cloacæ minorem oris ad se trahit, & quasi assumit. De quo vide ri potest Dygbæus. c.

Affectus medii ventris seu pectoris, v. g. tussis pleuritidem, hæmoptysin, asthma &c. leniri & curari posse pulveris sympathetici cum mumia, praesertim sanguine, saliva vel urina mixti usu nonnulli alleverant.

Inter infimi ventris affectus frequentissimus ac molestissimus ferme dolor colicus, solo carline scandentis aspectu curari perhibetur. Vomitus assuntorum spontaneus curari potest, quando canis ea, quæ agrotus evomere solet, devorat. De quo videri meretur Spicilegium obs. curios. Ubi refertur, puellam hecita a debilitate ventriculi cum vomitu vexatam, cui catellus accumbere & evomita devorare solebar, convaluisse, catellum vero rabe correptum periisse.

Per Sympathiam flavus color Ictericorum sicut viridis oculorum solatum est. Sic poculum ex cera confectum a nonnullis Practicis commendatur, tum pro potu ordinario, tum ad medicamenta ex eo sumenda, cui quidam crocum addunt. Porro charadrius avis (quæ a divino Mose Lev. XII. & Deuter. XLIV. inter aves immundas censetur) hoc benefi-

liq[ue]s

ut a natura obtinet, si quis icteritus eam acerrime intueatur, & illa contra fixis respiciat oculis, tanquam vicissim ei succensens, ictericum illo suo obtutu ad sanitatem reducit, prout ex Æliano refert Borrichius in Hermetis Ægyptiorum & Chemicorum sapientia p. 169. Haud dissimilia Plinius I. XXX. c. XI. de Galgulo refert, quod scribit, avis icterus a colore vocatur, quæ si spectetur, sanari id malum, tradunt, & avem mori, hanc puto latine vocari Galgulum. Tincam quoque corpori admotam Ictero mederi omnemque bilam in corpore effusam ad se trahere referunt Gesnerus & Keutmannus. Qualis curatio faciliori opera fieri potest, si cineres urina ægri icterici imbibuntur & rursus exsiccentur. Alii panis lintei quartam ultimæ partem urinæ icterici immixtam & hinc igne lucido crematam commendant. Caro denique Urina Ictericæ cocta & in butyro affata, cani devoranda projecta ad eundem morbum curandum prodesse fertur.

Atrophiam, seu totius corporis mæciem curatam fuisse per inescationem, dum arida corporis superficies crusta panis fricata famelico cani devoranda fuit objecta. De quo pluribus videri meretur Spicilegium obscurior. Idem malum felicius etiam curari posse, quando ovum in urina ægri coctum & in ollam perforatam reconditum in acervum formicarum insinuatur. De quo conf. Tract. der harmherzige Samariter,

In affectibus levius apprime in tumoribus prodesse putatur, leui animalis regioni morbo levius appli-

aplicatus & postmodum sub terram ad putrefactio-
nem absconditus. Scirrhī lienis curati duplex reine-
dium sympatheticum describit Bartholinus ex Joh.
Baptista Sidonio. In stranguria militi cuidam solum
Cardui Mariæ adspectum profuisse Felix Platerus te-
statur. Sicuti etiam lapiçis nephritici gestati saltim
maximam efficaciam esse ad pellendum arenulas &
calculos Untzerus de Nephrit. lib. I. cap. 24. testatur.

In Lue venerea bälteus mercurialis gestatus &
frterræ ad putrefaciendum committatur, morbum
interdum tollere creditur.

Leprae curatio sympatheticā miraculosa confir-
mata a Mose Lev. xix. prolixius & accurate descripta.
Ex qua quidem summa Dei bonitas elucescere videtur,
qua Judæis morbum epidemicum contagiosum, abs-
que sumptibus, pauperibus & que ac divinis curan-
dum monstravit. Alium lepræ gratitum Sym-
patheticum curandi modum in spelunca serpentum
factum Kircherus & Servius etiam delineant. Sca-
bies & alii morbi cutanei ex parte curantur, quando
leguli, linteamjna & iudulia sudore madida Solari-
bus radiis & aëri siccanda exponuntur.

Hydropicorum serosas humiditates, quando ex-
siccare volumus, urinam fumo exsiccandam com-
mittimus, qua exsiccata, serositates in corpore & ex-
siccantur & spiritus ab aquositate saepius liberantur.
In Hæmorrhoidum tumoribus & excrescentiis dolo-
rificis quam proficua sint Radices fabariae appensæ,
celeberrimi Medici G. W. Wedelius & Francus te-
stantur. Nitium vero fluxum hæmorrhoidalem

virorum, sicut nimium menstruum fluxum mulierum petiam sanguine imbutam sub cineribus calidis positam sistere, scribit Panarolus in fasciculo arcanorum.

Arthriticorum etiam apprime podagricorum remedia sympathetica quamplurima passim ventilantur. Dicit in vicinia Patriæ meæ Nobilissima Matrona, quæ plures arthriticos urina oblata curat, cui pulverem inspèrgit, & leni carbonum igne matutino tempore coquit. Interea temporis, dum urina coquitur, ipse arthriticus in molli strato sudorem expedit, inde vero dolores lancinantes atrocissimi mirandum in modum mitigantur, & ægrotus tandem perfecte curatur. Podagricorum solarium catellus in lectulo cumq[ue] recumbens & pedibus accumbens. Quibus etiam præsentissimum levamen afferunt limes loco dolenti applicati & postea aeri expositi. De quo vid. Spicil. Observ. D.H. In morbis per magiam illicitam productis hyperici usus externus & solus ad spectus commendatur.

Impotentiam virorum gemma electoria pollens aphrodisiaca virtute & viris favorem concilians per Sympathiam curare traditur.

In feminis & concipiendi & partum facilitandi virtutem Ætites lapis (resonante intus minuto lapillo dignoscendus) præbere fertur, prout Levinus Lemnius de occult. Nat. mirac. restatur.

Minima vero pars pectoris pectoribus C. CAP.

CAP. II.
DE
CURATIONIBUS SYMPATHETICIS
LÆSIONUM EXTERNARUM.

MAgis admiranda virtus curationum sympatheticarum in læsionibus externis, cito, tuta, jucunda, tam ex usū pulveris Sympatheticī, quam unguenti armarii sole clarius meridiano elucescit. Illius usum Dygbæus; hujus Petrus Servius in peculiari tractatu describit. Hisce duobus medicamentis omnia vulnera fuisse persanata locis citatis videre licet, hodieque multis non incognitum est. Nec minor in vulneribus recenter inflictis esse soler virtus, ligni fraxini in festo D. Jacobi, Sole in decima domo, seu medio cæli versante, sursum abscessi, affrictus iteratus, vulnera postmodum mediante puro linteamine ab aere defensō. Vulnera & ulcera antiqua curantur per Sympathiam, quando herba perficariae vel pulecariae germ. Flöh-Kraut ulceri vel vulneri per unius horæ spatiū applicatum, postmodum ad putrefactionem telluri humidæ mandatur.

CURATIUS SYMPATHETICIS
Ambulstā sympathetice ut autumatur curari posse, si membrum læsum igni admoveatur vulgi experimentum est.

Hæmorrhagiæ nimiræ & quævis profusiones sanguinis, quomodo mediante pulvere sympathetico fisti queant, prolixius Dygbæus l. c. describit p. 96.

Quin

Quin imo Lapidis hæmatitis & Jaspidis usus eodem fine noto notior est. Selenitem quoque annulo inclusum nudæ cutis contactu sanguinem quavis ex parte manantem sistere, se vidisse refert Fernel. lib. II. de abdit. rerum p. m. 254. Verrucæ & stigmata a perturbatione prægnantis foeti inducta, attacu Cadaveris mortui, donec pars stigmatis intume refixerit, evanescunt. Helm. de peste p. 44. Anthracæ afficitus Saphiri aut fugare aut discerpere tradit. Fernel. de abdit. rerum lib. II. p. m. 255. Mortuum canis rabidi crines ejusdem aliquando sanare notissimum est. Ictus Scorpii applicatione Scorpij; Serpentis applicacione capitis serpentini curari solet.

Herniosi quoque variis modis sympathetice curantur. Sic puerum enterocele laborantem per querum arborem fissam transmissum, fissura vinculo rursus conjuncta, ceratoque glutinata perfecte curatum fuisse obseruavit D.H. in Ephemerid. Nat. Cur. Cent. III. & IV. obs. V.

CAP. III.

CAUTELIS SYMPATHETICE CURANDO OBSERVANDIS.

Cum non sit idem, quando duo patiuntur idem, & configurationes etiam sympatheticæ pro morborum & ægrotorum varietate maxime variant, neque unum remedium omnibus promiscue adhibendum.

dum. Cautius itaque ut procedamus & ad optatam sanitatis metam contingamus, necesse est.

1) Curationes Sympatheticæ ex consilio prudentis medici & philosophi, qui ægrotantium temperamenta dignoscere, & non tam ex constitutione cæli & astrorum dijudicare possit, quam etiam elementorum & imprimis universæ materiæ medicæ exactam cognitionem habeat, institui debent. Nam juxta Coi effatum in his quoque periclitatio empirica periculosa. Apprime

2) Cavendum ne ab ignobiliori ad nobilium subiectum fiat curatio, seu per inescationem, seu per applicationem, vel alio quovis modo &c. neque enim ab homine in hominem, multo minus a bruto in hominem.

3) Curationis modus sive per transplantacionem seu per inescationem sive per applicationem &c. fiat, quandoque iterandus. Sicut enim non uno iœtu cadit arbor, ita neque morbus uni cedit medicamento. Hinc si ægrotus prima vice non restituatur, ali quocties curandi modus iterandus, donec æger perfecte restituatur.

4) Universalia morborum remedia. V. S. emetica, purgantia, sudorifera &c. pro indicationum varietate & modulo consultius præmittenda, ut curatio sympathetica facilitetur.

5) Specifica interna simul adhibenda: Externa oleosa, unguenta & emplastra vitanda, quia poris cutis occclusis spirituosus effluxus ac refluxus impeditur.

D

6) In

6) In Transplantatione & insirione feligendæ sunt arbores robustæ & longævæ, si durabilis effectus desideratur. v. gr. quercus & fraxinus, apprime vero fraxinus, præ reliquis eminent, utpote quæ species balsamica virtute prædita est, & hinc solo affrictu vulnera curare autumatur. Si subitanea affectatur operatio, subito succrescentes arbores feligendæ v. g. Salix, Tilia, Vitis &c.

7) Laudabile regimen circa rerum sex non naturalium moderatum usum curæ cordique habendum, apprime laudabilis diæta in cibo & potu servanda: Quisquis autem gulæ nimis indulgens, præscriptas medicæ vivendi regulas negligit & dissolute vivit, is sicuti vix a Pharmaceuticis, ita neque a sympatheticis remedii exoptatam salutem sibi promittere poterit. Hinc Podagrī, qui plerumque Bacholitant veneri indulgent & iræ dediti sunt juxtra vulgatum: Bachus der Vater, Venus die Mutter, Ira die Hebamme, zeugen die Tochter podagram, tum sympatheticis tum aliis vix ac ne vix quidem curandi. Quodsi vero a Vino, venere & ira prorsus abstineant, solis sympatheticis facili sicut alii plerique morbi negotio curabuntur.

CAP. IV.

CURATIONIBUS SYMPATHETI-

CIS ILLICITIS.

OMnia remedia sympathetica sunt quidem naturalia, nonnulla etiam cacodæmoniaca, quia, i) per na-

naturam & creaturas naturæ cancellis inclusas, fiunt.
Laſfiones enim vindictæ & fascinationes Suggēſtione
Satanae naturaliter & ſympathetice fiunt per magos &
Sagas. 2) Quia remediis naturalibus iisdem reſi-
ſtimus, imprimis per medicamenta ex regno vegeta-
bili depronta v. g. per aſam fœtidam, myrrham,
camphoram, rad. morsus diaboli, Syderitem, hype-
ricum, conyzam, polythrichium aureum germ. gūl-
dener Wiederthon, præcipuum illud plurimarum fa-
ſcinationem remedium, hinc funga dæmonum appel-
latum &c. ſive juvent, ſive minus! Quamvis itaque o-
mnia Sympathetica ſint naturalia, non tamen omnia
ſunt licita. Hinc probe diſtinguenda ſunt remedia lici-
ta & illicita: De illis ſuperius abunde diximus: De hiſce
tanquam prohibitis hic & nunc, ut vitentur, pauca di-
cemus. Sic abominandus & magicis illicitis curatio-
nibus accendendus eſt modus, quo homo ægritudi-
ne vexatus, alii homini ſano mumiam ſive excre-
mentum vitiosum communicat, eo fine, ut ſe a
morbo liberet. Impium quippe, ſi quispiam pro-
ximo ſuo, malum, quo affigitur, communicare
velit, id quod etiam fit, quando ſanguis menstru-
us, vel Saliva, vel aliud quippiam conciliandi amo-
ris cauſa amata personæ propinatur. Illicitum e-
jusmodi remedium Sympatheticum eſt, quando
gonorrhœa vel Lue venerea vexati cum ſanis coi-
tum precibus pretio impetrare ſatagunt, ut ſe a
venereis his morbis liberent. Ut ne plura hujus
farinæ nefaria recenſeamus. Nefandum denique
& magis execrandum eſt, quando veterinarii mu-
mia

TYPIS JOH. CHRISTIANI BENNII. ACAD. TYPOGR.

mia humana precibus pretio impetrata , curare solent bruta , qualis observ. in Ephem. Germ. a D. H. communicata videri meretur , quando Veterinarius lacte muliebri ulcus cancrosum equi curavit , mulier autem ulcere cancroso mamillæ per Sympathiam correpta brevi post perit.

Huc referri merentur ornes fascinationes & lassiones magiæ diabolice vulgo accensitæ , quæ ex hoc Sympathiæ & Antipathiæ fonte derivari possunt ac debent. In eodem pactum cum Satana implicitum fundatum. Neque enim pactum explicitum , per quod scilicet jure jurando mediante ad nutum cacodæmonis vivere , cum eodem tanquam succubo vel incubo rem habere , Magi & Sagæ sese obstringant , ullibi terrarum dari , a mente mea , ut credat , hactenus impetrare potui. Omnia quippe & singula talismodi phænomena nihil aliud , quam phantasmata & insomnia melancholicorum & lascivorum fuisse ex pluribus observationibus in


Spicilegio obs. curios. D. H. contentis elucescit.



0.1 A 6503



56





26

DISSE^TAT^O IN^AUG^UR^ALIS MEDICA,

DE
**CURATIONIBUS
SYMPATHETICIS.**

QUAM AUSPICE DEO PROPI^O

*Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,*

PRAE^ES IDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

ANNO MDCCXXX. D. OCTOBR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

AUCTOR RESPONDENS

CHRISTOPHORUS EUGENIUS HOYER,

MULHUSANO-THURING.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.